PII MORES ET SANCTI AMORES

EPIGRAMMATIS EXPRESSI

AVCTORE

CANDIDO PHILALETHO

Presbytero Genuenſi.

GENVÆ, M.DC.LII.

Ex Typographia Benedicti Guaſchi.

De conſenſu Superiorum.

Imprimatur.

Ex auctoritate Illuſtriſſimi Magiſtratus Inquiſitorum Status.

Laurentius Oliuerius Cancellarius.

Imprimatur.

Inquiſitor Genuæ.

IOANNI BAPTISTAE
LERCARO
Sereniſſimæ Reipublicæ Genuenſis olim Duci, nunc Illuſtriſſimo Procuratori

IOTECA NAZ
ROMA

Auctor Opus ſuum D. D.

OLim qui priſcos primis miratus ab annis
Multiſcia vates nunc quoque mente tenes,
Cumq; coronatū caput exornaueris auro,
Non minus arrident laurea ſerta tibi;
Verſiculos ne ſperne meos, Lercare, ſed illo,
Quo me ſæpe vides obuius, ore lege:
Pænitet obſcæni libros emiſſe Catulli;
Hunc vt emas, pariter pœnituiſſe nequis.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Delicias molles, duroſque prophana dolores
Dulcis amara ſimul ſæpe Poeſis habet;
Illa leues cartas dum turpis amoribus implet
Impuris, curas non ſinit eſſe leues;
Namque inſanus amor cui viſcera ſana relinquat?
Anxia ſollicito plena timore facit;
Mæſtitiæ Venerem ſemper comitantur euntem;
Hæc fugit, ancillis ſed iubet eſſe moras.
Quæ tibi Cæleſtes, et puros cantat Amores,
Puras delicias ſancta Poeſis habet;
Hinc procul ardenteſque faces, gelidique timores,
Zeluſque, & mordax ſollicitudo procul:
Sancta igitur ſancto ſolũ quia ſeruit amori,
Eſto in delicijs noſtra Camæna tuis.

AD

AD EVNDEM.

C*VR mala iuncta bonis Epigrammata noſtra placere*
Non valeant, cauſam Lector amice rogo:
Cum paleis granum, cum cortice fructus amatur;
Oſſa medullarum plena placere ſolent:
Triſtia iunguntur lætis, pulchriſque teguntur
Fœda; Deo ſoli credo deeſſe nihil.

AD PRISCOS POETAS.

CAſtalias memoratis aquas, fontemque Caballi,
Arido vbi vates pellitis ore ſitim;
Sæpe tamen Veneris per vos immittitur ignis
In corda, epotis, ars noua, ductus aquis:
At me Pegaſeis iuuat os immergere lymphis,
Reſtinguam flammas vt Cytherea tuas.

LI.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS
PII MORES

I.

DE MIRABILI VIRGINE Gallicana,

Quæ ſe bis in fluuium dedit, vt caſtitatem ſeruaret.

VT venerem fugiat, dat ſe fluuialibus vndis,
Et iamiam rapidis Virgo necatur aquis:
Aduolat ad prædam ratis, & latura pudori
Exitium, mortis liberat exitio:
Accipitres videt vna duos, pauitanſque columba
Gurgitibus mauult reddere membra feris;
Præcipitanſque trahit ſecum cymbamque, viroſque;
Sed natat incolumis, dum necat vnda duos:
Sic pia virginitas flammas euadit, & vndas;
Sic inceſta venus flumine, & igne perit.

II.

De S. Virgine Lucilla quæ ſibi oculos eruit caſtitatis amore.

Sidereos oculos Lucillæ in fronte micantes,
Flamma quibus dulcis, gratus & ardor ineſt;
Viderat, & nimio iuuenis ſuccenſus amore
Fœda parat; ſed enim Virgo pudoris amans
Protinus effoſſos ſplendenti in vaſe ferendos
Dat puero; hos, inquit, turpis amator habe;
Extinctos mitto, tuus extinguatur vt ignis;
Non viuos poteras hos, & habere tuos.
Pulcher amor, pulchrique oculi, pulcherrima Virgo!
Vnus amator erat, ſunt modo mille tui.

Digitized by Google

III.

De eadem.

IPſa ſibi nitidos Lucilla effodit ocellos,
Ne placeant cui ſe velle placere negat:
Extinctos tibi munus habe miſer, inquit, amator;
Viuentes vitam qui rapuere tuam:
Cœca libenter ero tibi quæ iam nolo placere;
Cœca placebo magis cui placuiſſe volo.

IV.

De Virginibus quæ ob caſtitatem ſeruandam ſibi nares præciderunt.

QVæ nimium formoſæ oculis placuere puellæ,
Ne placeant, nares executere ſuas:
Candida fœdari malunt tam turpiter ora,
Vulnera quam læſus ſentiat ante pudor:
Naribus emunctis prudentia iuncta putatur;
Taliter exectis, dic rogo, quanta fuit?

Vir-

V.

Virtus de Venere in Virginibus pro caſtitate plurima perpeſſis triumphat.

CErtabant Venus, & Virtus de laude decoris;
Eſt animo Virtus, corpore pulchra Venus:
Florentes hæc picta genas, oculoſque micantes,
Membrorum candens, molleque iactat ebur:
Illam ornat grauitas, & neſcia ſordis honeſtas,
Et pudor, atque modus, perpetuuſque tenor:
Virtutis pauci, ſed magni, greſſibus inſtant;
Dat primas Veneri plurima turba ſequax;
Et iam victricem numeroſior ore ſalutat;
Sed palmam factis pars inimica tulit:
Namque puellarum deuota caterua pudori
In Venerem armatas fert violenta manus;
Eruit hæc oculos, nares obtruncat & illa,
Vna ſecat mammas, ſauciat vna genas:
Virtutem ardebat pars altera lædere ferro;
Sed locus excipiens vulnera nullus erat:
Sic fœdata Venus fugit, palmamque reliquit
Virtuti, cuius forma perire nequit.

De

VI.

De igne S. Laurentij, & igne venereo.

IGne tuo mallem, Laurenti, corpus aduri,
Quam mentem incendi, corpus & igne meo:
Te tuus excruciat, cruciat, delectat & ignis
Me meus; excrucior ſic magis atque magis;
Nam quod delectat renuo, fugioque quod angit;
Sic ab vtroque pati cogor, vtrumque timens:
Ferre malum crucians ſatis eſt tibi; ferre neceſſe eſt
Mî crucianſque malum, pellicienſque bonum.

VII.

Chriſtus aquam in vinum conuertit.

DVm menſæ conuiua Deus, genitrixque Tonantis
Aſſidet, & Chriſti relligioſa cohors;
Sobria quantumuis deeſt inter pocula vinum,
Nec ſatis explendæ iam valet eſſe ſiti:
Ferte citi lymphas, hydrias, cyathoſque replete,
Chriſtus ait, puras nonne bibemus aquas?
Erubuit dominus laris, erubuere miniſtri;
Lympha etiam erubuit, facta repente merum.

De

VIII.

De adultera à Chriſto abſoluta.

SIſtitur ante Deum deprenſa in crimine turpi
Mæcha, verecundo faſſa ſed ore ſcelus;
Poſcitur ad pœnam, damnatur & ore nocentum
Vna nocens; Chriſti pendet ab ore ſalus:
Ille memor fragilis naturæ, atque immemor iræ,
Qui vinctam tulerant indicat eſſe reos:
Lumina deijciunt confuſi, tergaque vertunt;
Sola manet vinclis illa ſoluta ſuis.
Quid faciet iudex, cunctorum vincula ſoluens,
Accuſatores ſi ſoluere ream?

IX.

De debitore à Chriſto abſoluto.

DEbitor ingentis ſummæ quam ſoluere tota,
Si fluat in gremium, non valet vnda Tagi,
Chriſtum adit, & ſupplex curuato poplite adorat,
Depreſſoque breues poſtulat ore moras:
Cui Rex, i, dixit, ſoluendo liber ab ære,
Sat iuſti pretij eſt, te voluiſſe, loco:
Quam tua lex facilis, facilis clementia Chriſte;
Crimina ſi delet tanta rogaſſe moram!

X.

De Maria Magdalena ad Chriſti pedes lacrymante.

CAndida ſuffuſam roſeo viden ora pudore;
Cæleſti teneras imbre rigante genas?
In dulces lacrymas tam dulciter iſta liqueſcit,
Vt non tam ſapidas ſenſerit ante dapes.
Quantum, Chriſte, boni prope te reperire licebit,
Si tam dulce ſapit pœnituiſſe mali?

XI.

De eadem.

CVi patrare ſcelus dulcis fuit ante voluptas,
Poſt lugere ſcelus dulcior eſca fuit:
Dulcia ſunt ægris tua ſi medicamina, Chriſte,
Quâm dabitur ſanis potio grata tuis?

De

XII.

De S. Lucia Virgine, & Martyre.

INuitam violenta trahit dum turba puellam,
Pergat vt innocuus quo vetat ire pudor;
Siſtitur hæc immota loco, tantoque reſiſtit
Pondere, vt incaſſum brachia mille trahant:
Quid facitis miſeri? vires abſumitis, inquit;
Non me ſi veſter Iuppiter ipſe trahat,
Si trahat Alcides, ſi Mars, aliuſue Deorum,
Dimoueat; ſi non mouerat ante Venus?
Fortior hæc reliquis, Martem vinxitque catenis,
Traxit & Alcidem, traxit & illa Iouem.

XIII.

De S. Felice Nolano, aranearum telis repentè occultato.

NON *poterat Felix Regum feliciter iras*
Euaſiſſe magis, carnificumque manus;
Hunc ſubito textis occultat aranea telis;
Inualidis inquis; ferrea turris erant:
Conderet an melius latitantem ferrea turris,
Quam qui vel caruit ſuſpicione locus?

De

XIV.

De S. Paulo Eremicola.

PAlmatam veſtem ſacratos induit artus,
Deque ſuo Paulus corpore victor ouat:
Non etenim gelidæ depellit frigora brumæ,
Languida nec ſenio membra maliſq; fouet:
Ille tamen ſic regales irridet amictus,
Qui curas acres, fœdaque multa tegunt:
Da mihi virtutes Pauli cum tegmine Pauli;
Sit tua cum vitijs regia palla ſuis.

XV.

Religioſæ Obedientiæ miraculum.

DVm lea præcipitur mitis velut agna ligari,
Imperiumque pati ſponte, manumque ſequi;
Impauidus iuuenis nunquam parere recuſans
Crinibus apprenſam ſtringit, agitque feram:
Vtrum plus mirer, quod neſcijt iſte pauorem,
An mage quod lea ſe neſcit eſſe leam?

XVI.

De S. Mauro ſuper aquas ambulante.

PRæcipiti curſu præterlabentibus vndis
Abreptus Placidus iam moriturus erat;
Accurrit Maurus, Benedicti iuſſa capeſſens,
Et fluuium calcans non ſecus atque ſolum,
Extrahit è fundo ſocium, redditque magiſtro:
Sed quid durauit marmoris inſtar aquas?
Obſequium Mauri? vel virtus nota iubentis?
Aut pueri meritum, quem dabat vnda neci?
Hoc potius reor, attonitos ſimul atque rigentes
Virtutem fluctus obſtupuiſſe trium.

XVII.

De eodem.

DVm Placidũ rapit immitis cita fluminis vnda;
Accelerans Maurus, iamque daturus opem,
Calcat iter liquidum duri quaſi marmoris æquor;
Non titubat Maurus, non titubauit aqua:
Sic ſeruant elementa fidem, reuerentur amorem;
Virtuti dominæ ſubdita terga parant.

XVIII.

Ad eundem.

QVo te, Maure, rapit vis incenſiſſima amoris?
Torrentes in aquas proſilis, inque necem?
Non Orcum metuis, ſocium de faucibus Orci
Rapturus, non tu Tartara nigra paues?
Vt mors fortis amor, Salomon cantauerat olim;
Fortior in facto cernitur eſſe tuo:
Nam mortem ſuperas, dum mortem auertis amici;
Bis ſuperas, dum ſic negligis ipſe tuam.

XIX.

De S. Florentio Eremicola vrſum ouibus præficiente.

VIderat adſtantem foribus Florentius vrſum,
Nec timuit rabida ſe feritate peti;
Sed ſocium vitæ aſciuit, gregis atque puſilli
Cuſtodem; i, dixit, tu rege paſtor oues;
Imperio parens pecudes ducebat ad arua
Pinguia ieiunans obſequioſa fera:
Iam ſe raptorem neſcit, creditque magiſtrum;
Et nutrit quo ſe nutrijt ante cibo.
Quis lupus inſidias tenero modo tendat ouili,
Illæſas vrſus ſi cubat inter oues?

XX.

De eodem.

MIraris ſæuum quod non Florentius vrſum
Horruit? antiquæ vir probitatis erat:
Credebat pecudem conuiuere poſſe leoni,
Intactumque agnum dentibus eſſe lupi;
Ire pares; comiteſque viæ capreaſque, tigreſque,
Pantheras, vitulos, & lepores, & apros:
Scilicet innocuo ducit qui pectore vitam
Præ candore animi nil putat eſſe nocens.

XXI.

De S. Marcellino Anconitano Epiſcopo.

ANconæ dum flamma vorax deſæuit in ædes,
Vrbis & extremum creſcit ad exitium;
Occurrit Marcellinus, reſtinguat vt ignes,
Et murum opponit corporis ipſe ſui:
Reſtitit, & tanti penes alta incendia amoris
Aut ſtupida, aut prorſus frigida flamma fuit.

De

XXII.

De S.Conſtantio eiuſdem vrbis manſionario.

ILluſtrare nouo ſatagit Conſtantius igne
Lampadas, aſt olei copia nulla ſubeſt;
Frigentem lympham pro pingui infundit oliuo,
Atquę ignem appoſita viuere poſcit aqua;
Et vixit, luxitque diu; fac iſte repoſcat
Vinum, oleum, panes, omnia, lympha dabit.

XXIII.

De eodem.

CRedere poſſe negas, quod lympha miniſtret oliuum?
Si velit omnipotens, credere poſſe negas?
Nonne, iubente Deo, fructus pingueſcit oliuæ
Iugiter à pluuia natus, & altus aqua?

XXIV.

De S. Nonnoſo.

LAmpada Nonnoſus vitream, laturus ad aram;
Ardens infuſa purificabat aqua;
Fracta cadit, fragmenta legit quamplurima triſtis;
Irati metuens ora, minaſque patris:
Obſecrat ergo Deum, reddatur vt integra lampas,
Et meruit, quia non fregerat ille fidem.

XXV.

De eodem.

LApſa erat è manibus Nonnoſo vitrea lampas;
Fractaque cum fracta lampade mens Monaco;
Nam timet irati conuicia triſtia Patris,
Expertus quales intonet ille minas:
Sed fractam mentem ſpe nixa precatio firmat,
Integrum pauido reſtituitque vitrum.
Dictum olim fuerat, fractus labatur vt Orbis,
Impauidum iuſtum tanta ruina premet:
Dicere iam poteris; frangatur vitrea lampas,
Ne iuſtus paueat, integra rurſus erit.

XXVI.

De Herone ſolitario.

Dœmonis illectus dictis fallacibus Heron
Præcipitem ſemet deijcit in puteum,
Angelicæ quaſi tutus ope, amplexandus & vlnis;
Sed per inane cadit, ſpes & inanis abit:
Extrahitur fundo pene exanimatus ab imo,
Integer haud cerebri, qui minus ante fuit.

XXVII.

De S. Fridiano Lucenſi Epiſcopo, Auſeri fluuio terminos imperante.

Latius effuſis Auſer dum profluit vndis,
Sæpeque Lucenſes depopulatur agros;
Nec ſe poſſe vident damnum prohibere coloni,
Opponit tumidis ſe Fridianus aquis;
Et baculo deſignat iter, voluantur vt illac;
Paret, monſtratam flumen initque viam.
Ante trahens ſyluas ligno cur ſubderis amnis?
Num virgam audieras imperitaſſe mari?

XXVIII.

De eodem.

E Xundat nimium, ripiſque ſuperfluus extat
Spumiferis Auſer dum violentus aquis;
Et ſegetes, plantaſque necans, it cæde ſuperbus;
Imperio frænat ſe Fridiane tuo,
Et cohibet fluctus, atque anguſtatur in alueo,
Et ſequitur quam non nouerat ante viam:
Muſa refert mendax quod flumina traxerit Orpheus;
Cedat iam facto fabula priſca nouo

XXIX.

De S. Datio Mediolanenſi Epiſcopo Dæmonas abigente.

H Oſpitium ſubiens Datius laruualibus vmbris
Inuaſum, Stygiæ quo latuere feræ,
Nocturnos audit lemures, Phlegetontia monſtra
Multimoda horrendos arte ciere ſonos,
Rudere, mugire hinc alios, rugire, vlulare
Inde; at grunnitu fortius aula ſonat:
Tum Datius reliquos vincenti, tune volebas
Qui par eſſe Deo, nunc imitere ſues?
Is furibundus abit, tetro teſtatus odore,
Quod iam non porcus, ſed magis Orcus erat.

XXX.
De eodem.

OCcupat infernus ſpatioſa palatia prædo,
Et pauidos ciues arcet ab hoſpitio:
Aduena ſed Datius, tectus cæleſtibus armis,
Ingreditur, Stygio congrediturque Duci:
Nocturnis catus ille domum terroribus implet,
Et Datium inſanis vocibus ire iubet:
Aſt hic, ludis, ait, conatu ludis inani,
Non timeo voces, arma cruenta moue;
Bellum ego conficiam digitis; ſimul aera ſignat
Ter cruce; Rex Erebi protinus inde fugit.

XXXI.
De veris cordis gaudijs.

SI quid cordis habes, cordis penetralia cura,
Hoc etenim vitam, lætitiamque parit:
Eſto procul Veneris, procul atque Cupidinis ignis,
Lucida virtutis germina namque vorat:
Reſpue quæ turpem cæcumque ſequuntur amorem
Gaudia, non iſthæc gaudia vera puta:
Gaudia vera puta quæ mens ſibi conſcia recti,
Quæ parit ingenium, ſtrenuus atque labor;
Quæ fert pulchra, grauis, conſtans, interrita virtus:
Gaudia ſunt igitur vera ſeuera ſimul.

XXXII.

De S. Sauino Epiſcopo, venenum abſque læſione bibente.

Accipit à puero mendacia pocula præſul
Sauinus, quamuis norit ineſſe necem;
Et bibit intrepidus; verum lethale venenum
Ingreditur mea dum viſcera, certus ait,
Non feret immerito mortem; tranſibit ad illum,
A quo crudelis potio iuſſa venit:
Et patuit, vino, quod diuinauerat, hauſto;
Nam, qui miſceri iuſſerat, alter obit.
Sic benè diuiſit ſummus data pocula iudex;
Officit huic virus, proficit ille mero.

XXXIII.

De eodem.

Non timet oblatum vinum miſcente miniſtro
Sauinus virus lethiferum bibere:
Innocuo porrecta viro tamen illa nocendi
Potio vim retinens, iam nequit eſſe nocens:
At qui miſceri iuſſit bibit ante venenum
Plus ferale odij, quo miſer interijt.

De

XXXIV.

De eodem.

ILle dat, iſte bibit virus; mors auferet illum;
Corde venenato quem magis eſſe videt.

XXXV.

De eodem.

SAuinus dum vina bibit permixta veneno,
Triſtia nec mortis limina adire timet;
Alter obit, qui miſceri fera pocula iuſſit,
Tabifica infelix ambitione furens:
Præſulis eſſe loco cupit, atque aſcendere; iuſtè
Ad Styga deſcendit præſulis ille loco.

XXXVI.

De imagine S. Mariæ Magdalenæ.

VNicè amata Deo ſum Magdala, & vnica; noſti?
Et lacrymæ, & crines dant tibi ſigna mei;
Oblongi crines, impexique, aurea fila,
Et gemmata, ſacros vt tetigere pedes;
Prædulces lacrymæ, ſitientia & ora rigantes,
Flumina Pactoli grata, Tagique mihi:
Vmbra & imago mei ſum, picta colore tabella;
Nos vita hic, imò nullibi, Chriſtus habet.

De

XXXVII.
De Virgine, & milite Chriſtianis.

Carcere clauſa breui dum virgo intacta pudorem
Seruatura, procis oſtia ſepta timet;
Ingreditur miles, primaſque præoccupat auro,
Cuius ad aſpectum caſta puella fugit:
Ne fuge, ne trepida; cuſtos, non prædo, vir inquit,
Huc venio, in Chriſto ſum tibi frater ego:
Vna ſalus fuga virgo tibi; ſimulemus vterque
Alter vt alterius ora, habitumque rogo;
Exue fœmineas veſtes, aſſume viriles;
Nil dubita, Chriſtum teſtor vtrique Deum:
Non præſtat feſtina fidem, timet anxia virgo
Inſidias; tandem paret, initque fugam.
Ille ad ſupplicium rapitur, citò fraude retecta;
Et iam mucroni colla ſecanda parat:
Virgo repente volat; num me perquiritis, adſum;
Non hic ſupplicio dignus, at imperio;
Illa ego quæ fugi; culpa eſt fugiſſe? luatur;
Non pœna alterius culpa luenda mea eſt.
Vir contra, mea fraus, inquit, mea culpa, puellæ
Parcite, quæ pluſquam fœmina, virque fuit;
Forma pudorque Deo ſociant, cæleſtibus æquant;
Non hæc danda neci, thure colenda magis.
O vir, & o virgo! quid iam remorare ſatelles?
Hæc pluſquam terris copia digna; neca.

De

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

XXXVIII.

De ijſdem.

CErtabant virtute pari, vir, & alma virago;
Poſcit vterque mori, viuere vterque timet:
Iam damnata neci, iam carcere clauſa tenebar,
Virgo ait; en Chriſti ſum, velut ante fui;
Iuſta eſt cauſa fugæ, volui ſeruare pudorem;
Si non iuſta fuit, ſum mage digna mori:
Quod ſcelus iſtius? veſtem mutauit, vt eſſem
Caſta, nec eripuit me tamen ille neci;
Reddita ſum vobis; torquete, necate, quid vltra
Quæritis? hic liber ſit, religate ream.
At iuuenis contra, ſi crimen morte luendum,
Quod crimen, niſi fraus ingenioſa, fuit?
Si crimen tamen illa fuit, ſum criminis auctor;
Patratorque ſimul, ſalua ſit iſta, rogo;
Huius ego ſubiiſſe vicem voluique, voloque;
Exitio capitis viue puella mei:
Dum lis hæc agitur, cauſæ Deus arbiter æquus
In Cœlum, vt ſemper viuat, vtrumque tulit.

XXXIX.

De ijſdem.

O Vir, & o virgo, virtus quos æmula iunxit;
Plus ſocio, quam ſit carus vterque ſibi:
Fortunati ambo! vobis ego tertius addar;
Quam ſors læta mihi, mors quoque grata foret?
Terque quaterq; canam, nunquã volo claudere carmẽ;
Materies animo conſonat iſta meo:
Sed quia claudendum eſt, ſit clauſula nexus amoris
Ille duûm; nunquam pulchrior vlla fuit.

XL.

De Conceptione S. Dei Genitricis.

MIraris quiſquis primordia ſancta puellæ,
Conceptumque, Orbis quem ſtupet, atq; colit;
Diſce quibus meritis, vitam queis greſſibus intret;
Non aliquid fædnm de generante trahit:
Purior Eois Præbus non ſurgit ab oris,
Phoſphorus aut vnquam clarior ore micat,
Quam nitet hæc vincente niues candore recentes,
Et radio terras fulgidiore ferit:
Si quæris tantæ cauſam nouitatis, habeto;
Aſtra ſuper noſtrum tranſtulit iſta lutum.

Ad

XLI.

Ad S. Franciſcum Xauerium.

O Qui tanta patras miracula Xauier ingens,
Vt reſonet laudes Orbis vterque tuas;
Seu morbos pepuliſſe graues, febreſque malignas,
Siue procelloſum compoſuiſſe ſalum;
Seu morti, ſtygioque fugam mandaſſe tyranno
Diceris, aut plauuijs exhilaraſſe ſolum:
Cuncta facis quia cuncta potes, præſto omnibus vnus,
Temporibus præſens iugiter atque locis.
Aiebas, Satis eſt, optatis ipſe replendus;
Vt repleas alios, nil tibi iam Satis eſt.

XLII.

Ad S. Dionyſium Areopagitam, De præclaris ipſius ſcriptis.

DEficiente die Rector dum deficit Orbis,
Numinis occidui conſpicis ipſe diem:
Poſtea cum moreris, Dionyſi, lumina mortis
Clauſa manu lumen, te gradiente, vident:
Miremur trahis à primo quod lumine lumen
Dum ſcribis, tenebræ cui quoque lumen erant?

De

XLIII.

De S. Catharina Virgine, & Martyre.

Clauiculis rota conſtruitur crudelis acutis,
Frangere quæ, pariter dilaniare, queat;
Huic tenerum corpus Catharinæ virginis aptant,
Quò pereat fœdis dilacerata modis:
Ales at æthereus deſcendens præpete penna
Comminuit valido protinus enſe rotam:
Virginis in iugulum gladios iam ſtringite veſtros,
Si tamen & gladijs poſſe ferire datur:
Sed quia ſoluendus vinclis mortalibus almus
Spiritus eſt, gladius cædat, vt ille volet.

XLIV.

De S. Stephano Protomartyre.

Mille manus Stephanum ſaxorũ millibus vrgẽt,
Et feriunt, tamen is mitia verba refert:
Iniuſtis odijs, factiſque rependit amorem,
Et pro vulneribus fundit ab ore preces:
Hic, rogo, quantus amans caris occurret amicis,
Si tantus diris hoſtibus ante fuit?

XLV.

Ad S. Silueſtrum Romanum Pontificem.

VRbice Silueſter claudis feliciter annum,
Et reſeras auro de meliore dies;
Clauſiſti Dioclis, totamque tyrannidis iram,
Dum Conſtantinum proluis amne ſacro;
Huic aperis Cœlum, claudis quoque gentibus Orcum;
Iure Petri claues, imperiumque tenes.

XLVI.

In Calendis Ianuarij.

INgreditur nouus auſpicijs felicibus annus;
Quem puer ingenti donat honore Deus;
Imponit capiti radiatum nomen Ieſu
Vt micet in celſa fronte futura ſalus;
Sanguinis inde ſacri pretioſo murice veſtit,
Addit lacrymulas, gemmea dona ſuas.
Felix fauſta dies, regali inſignis amictu,
Quam benè eum tanto principe prima præis?
Viuite ſecuri mortales, tempora ducit
Iam melior Ianus, vir ſimul atque Deus.

De

XLVII.

De Stella, & Magis.

STella Magos vocat ad ſtabulum, Cæliq; loquutur,
Infantem, roſeo qui ſilet ore, Deum:
Feſtinant Reges magni ad cunabula Regis,
Corporibus ſtratis, muneribuſque colunt:
Quid videre, putas, partum vt videre recentem?
Quod nedum potuit Cælica lingua loqui;
Inuenietis, ait paſtoribus inclytus Ales:
Sed quid viderunt? inuenietis, ait.
Quod Cælum, quod Cælicolas, quod ſidera traxit;
Denique quod dignum talibus obſequijs.

XLVIII.

De coruo panem S. Paulo Eremicolæ miniſtrante.

DImidium panem coruus qui detulit vni,
Attulit integrum, ſenſit vt eſſe duos:
Poſtulat hoc ratio, rationis vt edocet expers,
Quiſque vt amore pari ſe, ſociumque colat.

XLIX.

De iure amicitiæ.

QVid, quantumque tua de re donabis amico?
Dimidium eſt animi, dimidiumque dabis.

L.

De S. Tereſia.

AD mortem feſtina gradu Tereſia virgo
Impatiens vitæ dum duodenniſabit;
Non patitur Chriſtus, ſeruari ſanguinis vndam
Æternûm arſuram cœlico amore iubet:
Illa ſiti flagrans pœnarum, ardore dolorum,
Chriſte, ait, aut patiar iugiter, aut moriar.
Quid tu rere? poteſt hæc nobis fœmina dici?
Aut extare viris, cœlitibuſque putes?
Non tellus vnquam aut Cœlum miracula profert
Talia, dicere te, ni patiare, pati.

LI.

Ad S. Mariam Magdalenam.

DVlcis amica Dei, quæ præ dulcedine amoris
Verteris in flammas, ſolueris in lacrymas,
Quæ rigidas cautes, & ſaxa horrentia mollis,
Et præ nectareo dulcia rore facis,
Cor mihi marmoreum perfunde tepentibus vndis,
Fiat vt ætherei molle ad amoris opus;
Vna tuis de lacrymulis perfregit Auerni
Oſtia, germanum reſtituitque ſibi;
Vna Deum mouit lacrymanti collacrymantem;
Quid non ergo potes, ſi modo flere potes?
O rubri maris exuperas quæ diuitis vndam,
Mî fluat ex oculis margaris vna tuis.

LII.

De S. Andrea.

ASpiciens crucis Andreas lætabile lignum,
Vnde venit cita mors vitaque ſine carens,
Exclamat, ſalue bona crux, ò ſola voluptas,
O deſiderium iuge, decusque meum?
In te fixa Dei poſtquam pia membra tuliſti,
Dulcoris totum, nil feritatis habes;
Eripe me terris, Cælo inſere, iunge magiſtro;
Plus etenim cunctis iungere ſola potes;
Nam quantum Deus eſt per te depreſſus ad ima,
Tantum celſa petis ipſa, caputque leuas.

De

LIII.

De Sancto Latrone.

PEndulus infami dum Chriſtus in arbore languet,
Et iam Lethæus pallor in ore ſedet;
Poſtulat algentem moribunda voce liquorem;
Nec quiſquam ſicco pellit ab ore ſitim:
Demirans, miſeranſque latro quò porrigat vndam,
Ex oculis mixtas ſanguine fundit aquas:
Si Domino ſeruus pretioſa hæc pocula donat;
Donabit ſeruo qualia quanta Deus?

LIV.

De eodem.

DE Cruce pendentem ſæua cum latro videret
Illum, qui Cæli regia ſceptra tenet;
O, inquit, video reſerantes æthera claues;
Si rapio è furca, fur ego quantus ero?
At mihi vincta manus! furabor ſupplice lingua;
Plus Verbum verbo, quam capiere manu:
Accedit, faſſuſque Deum rogat, obſecrat, ambit;
A clauis claues ſic rapit æthereas.

LIV.

De Chriſtianis Martyribus à Nerone crudeliter exuſtis.

AVdi ſæuitiæ monſtra execranda prophanæ,
Virtutis ſanctæ prodigioſa lege;
Sæuitiæ Nero monſtra refert, cultorque Deorum
Impius, in matrem nec pius ipſe ſuam;
Virtutis miranda patrat gens dedita Chriſto,
Quam magis impietas efficit eſſe piam:
Ille ferox magnæ poſt fæda incendia Romæ
Sic fertur fortes igne necaſſe viros;
Viua ſuperueſtit piceatis corpora ſaccis,
Et iubet accenſas noctibus eſſe faces;
Ardebant pia membra, nigram nutrientia flammam,
Quæ vitam à longa ducere morte dolet;
Exuuijs & paſta ſacris ad ſidera tollit
Puram animam, radio quò meliore micet:
Sic ſæuam rabiem mitis patientia vincit,
Gloriaque obſcura de pice clara ſalit:
At vos cultores Erebi iam diſcite noſtræ
Virtutis veſtra in nocte ſtupere diem.

Crux

LV.

Crux Chriſti arbor vitæ.

QVisquis es aſſiduis pergens vrgere querelis
Infandum crimen protoparentis Adæ,
Quo felix miſeris vetita eſt murtalibus arbor
Vnde datum fuerat linquere mortis iter;
Ecce beata magis largo tibi munere Chriſti,
Queis ſemper viuas, protulit arbor opes:
Fronduit illa ſolo tibi planta, ſed vna, & in vno;
Omnibus aſſurgit crux tibi fixa locis:
Præſto eſt, ignotas nec opus perquirere terras;
Vitam hauris, quoties corde, manuque tenes:
Quin & viſa ſemel mortem necat, effugat Orcum:
Non damnoſa Patris culpa, lucroſa fuit.

LVI.

Beati qui lugent.

SVm miſer, & miſerum me lugeo; ſic miſer eſſe
Aſſueſco, inque malis iam minus eſſe malus.

LVII.

Lazarum quatriduanum Chriſtus ſuſcitat à mortuis.

QVi mortis tenet imperium clauesque profundi
Venerat ad tumulum quatriduane tuum;
Et durum lapidem ſuper ora iacentis amici,
Atque obſignatas dum videt eſſe fores;
Turbato ore fremit, tellus tremit, atque barathrum,
Tartareæ condunt ſe ſua in antra feræ:
Ille iterum fremit, & grandi ſuper oſtia mortis
Voce tonat, prodi Lazare amice foras:
Effractæ patuere fores, & Tartara linquens
Lazarus ad vitam, morte ſtupente, redit.
Mirare exanimum vocem ſenſiſſe iubentis?
Hanc chaos, hanc ipſum ſenſerat ante nihil.

LVIII.

Viduæ Naim mortuum filium reddit viuum.

ELatus feretro dum primo in flore iuuentæ,
Vnica ſpes matris, ducitur ad tumulum;

Occur-

Occurrit Chriſtus, mæſta ſimul ora parentis,
Et lacrymas turba cum comitante videt;
Et miſeram miſerans, morti indignatus acerba
Siſtite mærentes, quo properatis? ait;
Me præſente igitur mors hunc inimica, nocenſque,
Auſa auferre, ſuam iam rapit inque domum?
Illam ego victricem perditricemque meorum
Vicero, perdidero; ſed breue tempus adhuc.
Sic fatur, feretrumque tenet; paueſacta potenti
Voce, manuque fugit mors cita, vita redit.

LIX.

De S. Maria Magdalena Duram in Maſſiliæ montibus vitam agente.

O Carum mihi Magdalidos prædulceque nomen,
Quæ nectar ſuperis, terricoliſque fuit;
Seu fundat lacrymas oculis, nil dulcius illis;
Siue det alloquium, vulnus amoris habet.
Mirandum, tenerum cui cor, quæ corda liquarat,
In terris durum vitæ adamaſſe genus;
Sed benè cæleſti transfixum pectus amore
Vt viſcum caueat, mollia quæque fugit.

LX.

Ad Virginem Dei matrem ſuturam.

INclyta progenies Regum, Ieſſæa propago,
Deſponſata viro, ſponſa futura Dei,
Accipe miſſa tibi felicia nuntia ab alto,
Aliger ambroſio quæ ſacer ore refert:
Neſcia virgo viri, tædæque ignara iugalis
Es genitura tamen, mira patrante Deo;
Æterni ſobolem Patris intra viſcera condes,
Concipies hominem qui Deus aſtra regit:
Quid dubitas? intacta feres, parieſque Tonantem,
Gaudebis ſaluo facta pudore parens:
Verbum eſt quod generas, Deus eſt quē concipis; Ergo
Plena Deo, Verbo peruia, quid pateris?

S. Ioan-

LXI.

S. Ioannes Baptiſta Vox clamantis in deſerto, pœnitentiam agite.

Iste coronatum caput vltra ſidera tollens,
Meßuit infando quod prius enſe furor,
Ieiunas fauces, dum viueret, ora ferebat
Arida, vix tectum crine rigente latus;
Præbebant feſſo durum pia ſaxa cubile,
Fugerat exalbo corpore pæne calor.
Hic hortari alios, & caſtigare ſeueris
Iure poteſt monitis, tam ferus ipſe ſibi.

LXII.

De Virginibus S. Vrſolam comitantibus.

Nympharũ ſacrata cohors, quibus Vrſula dux eſt,
Scis quid barbarico cincta furore timet?
Non odium timet, inſanum magis horret amorem;
Sic in amore odium, ſic odioſus amor:
Surgit enim nullus de turpi fructus amore;
Deque odio laudum plurima meßis erit.

De

LXIII.

De ijſdem.

FOemineas acies imbellia corda putaras;
Vincere ſed gladios hæ potuere tuos:
Improbe diſce furor, tales ad caſtra puellas
Si gens noſtra vocat, quos habet illa viros?

LXIV.

De ijſdem.

Ad tyrannum.

CErnēs nympharum miles pia caſtra prophanus,
Dum facilem prædam de timido hoſte putat,
Non iras acuit, non ferrum in vulnera ſtringit,
Sed palmam tenero certus amore petit:
Verum acies deuota Deo, cui fortia Chriſti,
Virtutisque ſacer pectora munit amor,
Inſanos ſanctis odijs propulſat amores,
Iamque cupidineum robur inane probat:
Barbarus in ſæuas contemptus vertitur iras
Educit gladios hoſtis, & enſe ferit;
Sed ferri quoque vis caſto dum ſeruit amori,
Victrices animas præmia ad alta leuat:
Sic furor infelix votis fruſtratur amando
Fruſtratur votis ſic feriendo ſuis.

Ad

LXV.

De ijſdem.

V Irginei flores, caſtiſſima turba, puellæ,
Sidereis acies inuidioſa choris,
Lilia non candent prope vos, nec amœna roſeta
Præ vobis aliquid ſuauis odoris habent;
Gratia pæſtanis veſtra eſt ſpecioſior hortis;
Non igitur vobis aptus in Orbe locus,
Non ſors digna ſatis; nam qui ſibi conflat amorem
Eximius veſtri corporis iſte decor
Eſt odio vobis; in terris dignus amari
Non amor eſt; cælum quod bene ametur habet.

Vr-

Digitized by Google

LXVI.

Ad S. Vrſulam.

VRſula, quæ ſocias ducis generoſa cohortes
Candida virgineïs ad iuga culta choris,
Quin & martyrij palmas, rutilaſque coronas
Carpere conſtanti corde manuque doces;
Accipe promeritum carmen, laudeſque clientis
Qualeſcunque tui, quas tibi dictat amor:
Æternum nequeo, nec opus, tibi condere nomen,
Me potes æternos ipſa beare dies:
Alba liguſtra, tuis numeroſaque lilia in hortis
Candeſcunt, vnum da mihi ferre manu.

LXVII.

In Caluinum hæreſiarcham.

EFfera Clauini mens, & ſententia vecors
Nil magnum in terris quod veneretur habet;
Se ſtatuit conſultorem, ſolumq; magiſtrum,
Interpres legum, legifer ipſe nouus:
Ætas priſca nequit, nequit Orbis vera docere;
Calui vēs totum ſorbuit ingenium.

LXVIII.

In eundem

QVæ ratio, quod conſilium quæ pondera mentis
Caluino ſuadent quam tenet ille viam?
Penſat Ariſtoteles rationum momina magnus;
Caluinus ſenſum pro ratione ſuum.
Quis ſapiens? rogo, quis ſtultus? ratione mouetur
Ille, ſuo ſenſu ducitur hic; & ouis.

LXIX.

De S. Thoma Apoſtolo.

DIra relicta fero lethalia vulnera ferro
Dum videt vt gemmas irradiare nouas;
Miratur Thomas, & flexo poplite adorat,
Et rogat offenſum ſupplice voce Deum:
Nec dubitat læſi placatam Numinis iram;
Cernit enim accenſas nonniſi amore fibras.

LXX.

De Adamo præuaricatore.

PRimus ab argilla qui prodit & ore Tonantis,
Cui Paradiſus erat firma futura domus;
Delicias inter Cæli terræque locatus,
Ambroſijs epulis, nectareiſque ſatur;
Cui petra mella tulit, ſudarunt balſama cautes,
Arbor & vna dedit non potuiſſe mori;
Cui roſa non ſpinis armata efflauit odorem,
Cui luſere tigres, procubuere leæ;
Qui mentem ac ſenſum concordi fœdere iunxit
Cui libitum ac licitum conſeruere manus;
Si tamen excipias mali exitiabilis eſum,
Quem ſpectare malum, carpere peius erat;
Non timuit ſpectare tamen digitiſque reciſum
Mordere, ac plexum morte vorare cibum.
O ſcelus! o ſtolidæ præceps inſania mentis!
Vno pro malo perdere tanta bona.

LXXI.

De S. Stephano.

ECce ſuper Stephanum ſaxorum grandinat imber,
Et puras ſacro tingit in ore niues:
Punica mala rubent, gemmas & mille coronant,
Vincentes rubri lucida dona maris:
Purpura nulla tamen tantum radiauit, & arſit,
Quantus in inuicto Martyre fulſit amor.

LXXII.

Ad S. Laurentium.

ACcipe Laurenti ſuccenſum pectus amore,
Deuotum meritis, muneribuſque tuis;
Pone ſuper prunas, tecum cineſiat in igne,
Atque inter cineres diſcat amare tuos;
Seque etenim, carnemque ſuam, vitamque relinquet;
Spiritus inde ſuper ſolus amandus erit.

LXXIII.

De SS. Stephano, & Laurentio.

A Stephano Stephanus ſibi gaudet habere coronã,
Nam Græca Stephani voce corona venit;
Cingit & innata Laurens ſua tempora lauro,
Laudatur pariter nomine & ipſe ſuo:
Sic benè Laurentem, Stephanumque vocabula ſignant;
Ornatur quoque par nobile laude pari.

LXXIV.

De S. Ioãne Apocalypſis Scriptore.

Vidit in obſcura clariſſimus vrbe Ioannes
Tectaque & ambigua nocte tegenda diu,
Excelſos Reges, formidatoſque Tyrannos,
Armatas acies, bella, trophæa, duces,
Et portentoſas ſpecies, ſimulacraque dira,
Sedes, & cædes, aſtra caduca, faces,
Incenſos Orbes, renouataque climata Mundi,
Regna beata auri, ſtagna cremantis aquæ:
Omnia perſpexit, celeri quoque mente recurrit,
Totus enim pennæ, lumina totus erat:
Si tibi ſunt obſcura nimis ſenſumque requiris,
Nil mirum, pennis luminibuſque cares.

De

LXXV.

De Elia Propheta.

IMperat Elias deſcendat vt ignis ab alto,
In quinquagenos ſæuiat atque viros;
Flamma repente cadens miſeros depaſcitur artus,
Fitque perexiguus tanta caterua cinis:
Poſt quinquagenos totidem iubet ignibus vri,
Plura etiam vltrici funera mente parat:
Sed Deus auertit tam ſæua pericula terris,
Æquus & ignitos currere iuſſit equos,
Spirantemque minas ſuper æthera ferre Prophetam;
Ignea de Cœlo biga repente volat;
Mitis & immitem tulit, atque innoxia vatem,
Mitior vt poſthac doctus ab igne foret.

LXXVI.

In die Natali Domini.

QVæ noua res? video pennatas mille cohortes
Ocius aereas peruolitare plagas,
Et terras petere, & magalia parua ſubire;
Inde Polus reſonat plauſibus, inde ſolum:
Virgineum celebrant partum, natumque Tonantem,
Verbum infans, tectum carne recente Deum.
Omnia lætantur; quidni? vox omnibus vna eſt,
Pax, homines, vobis, gloria, vita, ſalus.

LXXVII.

Ad Chriſtum, qui eſt imago Patris.

CHriſte Dei ſoboles æquæua, & imago Parentis,
Qua totum eſt geniti quod genitoris erat;
Cum genitore vnus ſimul, & ſimul alter ab illo;
Sic es imago Patris vera, nec es ſimilis.

Cæ-

LXXVIII.

Cæcus à natiuitate illuminatur à Chriſto per viſum in corpore, & per fidem in mente.

Luminibus qui captus eram, tenebriſque ſepultus,
Ex quo me genitrix protulit ex vtero;
Prætereunte Deo, qui mira patrare ſolebat,
Iuraque naturæ ſoluere iure ſuo;
Hunc adij ſupplex, lucemque à luce popoſci;
Annuit, atque luto lumina cæca tegit:
Inde lauare iubet; laui, lumenque recepi
Illico, & aſpexi quicquid hic Orbis habet.
Ille ſed occurrens, nondum ſatis aſpicis, inquit;
Reſtat adhuc dignum quod tueare magis;
Mene vides? crediſne Deum, Dominumque fateris?
Credo, inquam, & cecidi protinus ante pedes:
Iamque nouo, ac miro perfuſus lumine dixi,
Cum non cæcus eram, tunc quoque cæcus eram.

LXXIX.

De noua ſtella in natali Domini.

Stella nouum Chriſti clariſſima detegit Ortum;
Illius occaſum Sol niger ore teget.

LXXX.

Sanitas in pennis Chriſti. Malach.

Venerat e cælo dignata inuiſere terras
Vita, ſalus hominum, corpore tecta rudi;
Mirum, ſi tactu ſolo pellitque dolores,
Curat & innumeris tabida membra malis?
Sanguinis immodico fluxu duo luſtra laborans
Apprendit digitis ſyrma, repente valet:
Qua male ſerpebant contagia putida lepræ
Fit manu ab extenſa non maculoſa caro:
Mortuus à feretro ſurgit, dextraque potenti
Oſcula dat rurſum preſſa rubente labro:
Sit lepra, ſit peſtis, ſit mors, ſit tumba, ſit orcus;
Pennata quoduis pellitur arte malum;
Eia mortales properate, haurite ſalutem;
Attactu, alloquio, lamintibuſque venit.

De

LXXXI.

De quodam à legione Dæmonum obſeſſo, quem Chriſtus liberauit.

INſelix, ſtygiæ cui viſcera mille cohortes
Implebant diris excruciata modis,
Siſtitur ante Deum præduræ compede vinctus,
Et iunctas lacrymis fert pia turba preces:
Omnipotens fremitum dat Chriſtus ab ore minaci,
Increpitatque hoſtes, imperitatque fugam:
Pallet, & innumerum quamuis tremit agmen Auerni,
Et rogat in ſpurcos poſſe migrare ſues:
Annuit Altitonans; Stygius toto impete miles
Tranſit in obſcænum protinus hoſpitium;
Non tulit ignauus grex tam fatentia monſtra,
Seque necaturis illico merſit aquis.
Immundus, puto, porcus erat, collatus at Orco
Munditiem porcus credit habere ſuam.

LXXXII.

Lex Chriſti facilis.

IRatus fratrem verbo qui verberat acri,
Ac linguæ iaculo pectoris ima ferit
Ignibus infernis damnandus iudice Chriſto,
Errato pœnam det ſine fine parem;
Qui cupit amplexus, alienæ atque oſcula nuptæ,
Hic pariter ſtygijs eſca ſit vſque focis.
Sæuitiæ portenta noua, Siculiſque tyrannis
Apta putas, non hæc vindice digna Deo?
Culpa leuis, ſed pœna grauis, nimiumque videtur
Legis & humanis viribus impar onus?
Tu leue crimen ais lingua dare vulnera cordi,
Et famam & nuptam tollere velle viro?
Sed ſit culpa leuis, leuis eſt quoque ſarcina pœnæ;
Quam facile infernam vitat vterque domum?
Ille leui verbo fraternam mitiget iram,
Huic mæſta ex oculis gutta vel vna cadat:
Crimen vterque luit, penam fugit: vltio tanta
Pro verbo verbum eſt, guttaque pro macula?

De

LXXXIII.

De Phœnice.

Memento mori.

R Regia ſolis auis, quæ per compendia mortis
Æternos reparat ſæpe renata dies,
Inter odoratos cineres ſibi repperit ortum,
Et docet in cunas poſſe migrare rogum:
Non potes ipſe nouum veteri de corpore corpus
Ducere, ſed mentem fas renouare bonam.
Collige te ad cineres fætentis ſæpe ſepulchri,
Surget ab interitu vita ſaluſque tuo.

LXXXIV.

De S. Agnete Virg. & Mart.

AEtatis nondum tria luſtra expleuerat Agnes,
Neſcia adhuc vitæ traditur ecce neci;
Supplicijs dare membra feris infirma iubetur;
Pura leuis noxæ, criminis eſſe rea:
Inſtrumenta necis non ſunt tamen apta puellæ,
Et noua torquendæ eſt experienda via:

Non æqui manibus nexus, pedibuſue ligandis,
Nec ferri pondus ferre tenella valet;
Apta coronari, nondum ſatis apta necari;
Pœna eſt in pœnis non reperire locum:
Illa mori cupiens, igneſque feraſque popoſcit;
Ignes atque feræ lædere poſſe negant:
Sed gladio morietur, ais; gratiſſima Cælo
Hoſtia, & omen habens nominis Agna cadet.

LXXXV.

De eadem ab Angelo protecta.

INceſti fœdata loci dum ſepta ſubintrat
Agnes, iam Cælo digna, Deoque frui;
Aligerum reperit rutilo plus ſole micantem,
Qui gladium dextra fulminis inſtar agit:
In venerem laſciua ruat iam turba procorum,
Mars vbi, mors fuerit victa, fruenda venus.

LXXXVI.

De Virtute, ac Voluptate.

Ardua, ſublimis virtus caput inſerit aſtris;
Maiorem humana conditione putes.
Allicit illa quidem mortalia corda, trahitque;
Immortalis enim fulget in ore decor:
Non par in terris, ſimiliſue eſt gratia formæ;
Viſa ſemel nulli non placuiſſe poteſt.
Aemula virtuti tamen inſidioſa voluptas
Quantum ſe noſtris ſenſibus inſinuat?
Fœda licet, neque grata oculis, ſed blanda, placenſq;
Mollitie, ac ſemper dulcia mella liquans.
Vtram rere magis torquere potentia tela,
Altius arcanas & penetrare fibras?
Heu violenta nimis dulcis mouet arma voluptas,
Præliaque heu nimium continuata gerit:
Illi robur ineſt, atque inuiolabile pectus;
Quem nunquam potuit lædere molle malum.
Quem virtutis amor, rigor et durauit honeſti,
Vix hunc de noſtro dixeris eſſe luto.

LXXXVII.

De auxilio Dei, & hominis voluntate.

TEmperat humanas diuina potentia curas,
Præſtat & afflictis prouida rebus opem:
Me modo tempeſtas demerſerat alta profundo,
Extulit in Cælum dextra repente Dei.
Ne tibi, deque tuo plaudas humana voluntas;
Aſſeris ipſa volo, vis aliunde venit.

LXXXVIII.

De igne tartari.

ARdet in arcanis telluris conditus antris
Ignis inextinctus, pœna parata reis.
Non bene mente capis, quæ ſit clementia Chriſti,
Qui ſic excruciat non miſerans miſeros.
An tu mente capis, quam ſit damnabile crimen,
Perfricta ſemper temnere fronte Deum?
Ignibus edomitum diſcit molleſcere ferrum;
Impius indomito corde rigeſcit adhuc.

LXXXIX.

Virtus ardua.

Viuitur infelix cum vita; haud viuere præſtat;
Cur igitur miſero vita ferenda ſua eſt?
Creſcit enim rebus victrix patientia duris:
Quæ precor vtilitas, vt patienter agas?
Gloria virtuti, fulgenſque corona paratur:
Sed quando meritis retribuetur honos?
Tunc mors cum fuerit ſtudioſo meta labori:
At quis poſt mortem præmia ſera petat?
Hoc quoque certamen vincendum robore mentis;
Ne credas totum te moriendo mori.

XC.

Homo inter Cælum ac Tartarum conſtitutus.

Nigrantes inter flammas mærentis Auerni,
Ridentes inter ſidereaſque faces,
Mortales medij, vobis hinc gaudia Cœlum
Obijcit, & pœnas Tartarus inde ſuas.
Ardua luctantes hinc ducit ad æthera virtus;
Prona voluptatis ſegnibus inde via eſt:
Quod tibi percalcatur iter? quo tramite curris?
Ad vitam triſtis? lætus ad interitum?

Bene-

XCI.

Benedicite imber, & ros Domino.

DVm pluuijs iuga celſa madẽt, valleſq; redũdãt
Quid facimus, mea mens, non petis alta Deũ?
Et fœcundantem terras, camposque rigantem
Non laudas? laudant omnia, & ipſa ſiles?
Dic age, ſumme Deus terras qui fructibus imples,
A labijs fructus hos quoque carpe meis;
Quot pluuiæ guttæ deſcendunt æthere ab alto,
Aſcendant imo à pectore tot Charites.

XCII.

Benedicat terra Dominum.

ASpice vt omnis honos telluris, & agmen odorũ
Vernet, & ornet humũ, lucida vt aſtra Polũ;
Quæ vaga camporum ſpecies? quis riſus in hortis?
Et quæ pratorum gratia, quantus odor?
Cerne roſas, violas mirare, tuere hyacinthos,
Lilia & omne penu narium, & omne decus:
Fragrat humus, totus repletur odoribus aer;
Flantis ab ore Dei tantus inhalat odor.

XCIII.

De Sole ac niue.

C*Ertabant cum ſole niues, primaſque negabant;*
Sol ardore furens de niue fecit aquas;
Dumque ſitit, tangens flagrantia terga leonis;
Ardens hauſit aquas, hauſtus inhæſit aquis:
Se gemit anguſto concluſus carcere Phœbus,
Victoris factus præda repente ſui:
Inde rubenſque calenſque audaces ſuſtulit vndas;
Et profligata de niue rurſus ouat;
Sed vapor elatus nubem concreuit in atram,
Et vetuit terris irradiare iubar:
Iratus Titan nubem diſſoluit aquoſam;
Sed rurſum vitreis cum caperetur aquis;
Si lis, inquit, erit tenui mihi iugis ab vnda;
Cui ſpes in terris poſſe quiete frui?

XCIV.

In prauos amatores.

F*Æminei rapiunt quem blandimenta decoris*
Heu quam deformem forma aliena facit!

Aliud.

XCV.

Aliud.

FOrmoſas primum facies adamauit ocellus;
Poſtea cor cupidum turpia ſemper amat.

XCVI.

Pro Auctore Epitaphium.

NEſciui ſeruare modum, ac moralia penſans,
Humano pluſquam more moroſus eram:
Hinc dulces ſomnos abrumpto, caputque fatigo,
Et ſtomachum laſſo; mors properanter adeſt:
Sed mecum benè quantumuis properauerit actum eſt;
Ianua ſi vitæ perpetis illa fuit.

XCVII.

Aliud.

DIſplicui viuens mihi, quod placuiſſe Tonanti
Non poteram; placeo, ſi placeo moriens.

XCIX.

In obitu Mariæ Catharinæ Blancæ neptis ſuæ adoleſcentulæ.

AVrea fulgentis cryſtalli frangitur vrna;
Flos cadit egregius, cum Catharina cadit;
Pallet ebur candens, languet roſa mollis in ore,
Iam non in labris grata coralla rubent:
Viuax, & placidus iam non ſplendeſcit ocellus,
Vox non auditur dulciter ante ſonans:
O decor, o ſapor, o fragrantia molliter halans!
Heu ſimul in ventos ſic abiere leues?

Digitized by Google

C.

De eodem, quod Maio ineunte contigerit.

DVm redeunt nobis Maiæ, celebreſque Calendæ,
A nobis moriens ſit Catharina procul:
Quale decus, quantum, quæ mentis, & oris honeſtas?
Quantus amor labris, luminibuſque ſedens?
Flore nitet vario ſurgentis gratia Maij;
Flore ſed hoc vno commoriente perit.



LIBER SECVNDVS
SANCTI AMORES

I.

Cupido, & Caritas

Siue Amor impurus, & cæleſtis.

SVnt duo ſæua gerunt qui prælia ſemper amores,
Cælo alter, lutea prodijt alter humo:
Hic roſeo accenſas iaculatur ab ore ſagittas,
Melle ſoporatas dulcibus à labijs;
Perque oculos, aureſque ferens lethale venenum,
Indeuitato vulnere corda ferit;
Non ratio, non conſilium medicamina præſtat,
Omne Machaoniæ perdiur artis opus:
Allicit, ac dulcis cogit violentia mentem,
Cogitur illa volens, ſubijciturque libens:
Quale ſit is, quantumque malum, vix percipit vllus,
Cæcus enim cæcos efficit ipſe viros:

Digitized by Google

Implacidus placet, & requiem negat, otia mandans,
Mollia promittens gradia, dura iubet:
Incendit deſiderijs, ſpe paſcit inani;
Exſtimulare famem, non ſatiare poteſt:
Illicits fruitur licitiſque; hinc triſtia menti,
Dulcia corporeis ſenſibus inde parat;
Sic bellum fert iuge, placens hinc, inde fatigans;
Exterius mulcens, interiuſque premens.
Si ſapis, euita tu tela Cupidinis huius,
Atque odio falſum nomen amoris habe;
Blanditur carni? mens inconcuſſa reſiſtat:
Cælicus eſt alter, qui benè ametur, amor;
Torquet hic ardentes virtutis ab igne ſagittas,
Atque edulcatas nectare ſidereo;
Mirum ſi dulcoris habet, tantumque decoris?
Delicium eſt animi, corporis atque ſalus:
Conſilio regitur, rationi paret, & æquo,
Tranquillus, liber, nil violenter agit:
Gaudia magna ferens, poſthac maiora daturus;
Si certam nutriat ſpem patienter amans:
Spondet enim tam dulce bonum, tam iuge futurum
Vt non vlterius tendère vota queant:
Non igitur primo, ſed amori cede ſecundo,
Vt ſapiens viuas, ne moriare miſer.

Di-

II.

Diuino amore vulnerari deſiderat Ad Chriſtum.

AVdio dulce nimis diuini vulnus amoris,
Sed non inflictum ſentio, Chriſte, mihi;
Cur aurata negas infigere ſpicula cordi?
An non dignus ego te feriente peti?
Si ſic eſt igitur, cur non hoc vulnerat ipſum,
Quod non dignus ego qui tua tela feram?
Hoc tibi vulnus habe miſerum cor; vulnere ab iſto
Si ſemper doleas, vulnus amoris habes.

III.

Flendum, quia Deus non ſatis amatur.

FLere libet, fletumque dies producere in omnes,
Solibus & noctes aſſociare graues;
Namque Deum totis nequeam quod amare medullis,
Quale, precor, damnum? quis reparare queat?
Sed reparare queant lacrymæ fortaſſe perennes;
Namque minus quod amo ſi fleo, forſan amo.

IV.

Qui Deum amat felix eſt, quantumuis patiatur.

Ad Chriſtum.

CHriſte iubes vt amem tua quæ non cernimus ora,
Cum tamen aſpectu concilietur amor;
Te quoque promittis felicia regna daturum,
Regna ſed hæc olim conſpicienda mihi:
Cum videam, teneamque nihil, ſpe viuo futuri;
Spes tamen affligit, cui mora longa comes:
Sic te quiſquis amat, dolet, & vix gaudet amando;
Hinc rarus valdè quem tuus vrat amor:
Sed quicunque tuum triſtator propter amorem,
Plus felix, quam qui gaudet ob alterius.

Quo-

V.

Quomodo amor Dei dulceſcat.

Est in amore tuo, Deus optime, ſi quid amarum,
Vnum eſt in cauſa, ſcilicet hoc quod abes:
Sed nec abeſſe potes, præſens qui ſemper vbique es;
Ergo ades, abſentem me tamen eſſe puto,
Te quia non teneo, quem dum tenuiſſe peropto,
Res eſt optato dura carere bono;
Hinc fit amarus amor; ſed ſi patienter amarum
Iſtud amem, dulcis fiet amaricies;
Sic tuus vt dulceſcat amor, patientia donat:
Ergo diſce frui; quomodo? diſce pati.

VI.

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas.

Et cupis, & cupere exoptas; contraria faris;
Si cupis, hoc ipſum cur cupiiſſe rogas?
Non cupio, cupioque, mihi contrarius ipſe;
Mens cupit, impugnat ſed caro mentis opus
Conſentire igitur partes precor, optime Chriſte,
Da cupiam totus, da cupiam, & capiam.

VII.

Quid mihi eſt in Cælo,& à te quid volui ſuper terram?

MVlta quidem pretioſa, Deus, mihi dona dediſti;
Sed niſi te donas, perdita dona puto:
Te quoque donaſti, ſocium, pretiumque, cibumque;
Sed niſi te donas quo ſine fine fruar,
Iam neque te ſocium, pretiumue, cibumue tenebo;
Ne me, ne perdas talia dona, Deus.

VIII.

Diuina lex prædilecta omnibus mnndi bonis

Ad Chriſtum.

QVot me, quanta trahũt dulciſſima vincula cordis,
Pertentantque auidum pectus amore ſui?
Quæ ſpecioſa oculus, quæ ſentit dulcia guſtus,
Quæque canora auris, mollia quæque manus,
Grandi voce tonant, & quò meliora videntur,
Fortius illiciunt, imperitantque vt amem:
Tantorum me vis abduceret iſta bonorum;
Sed tua lex retinet, Chriſte, vetatque ſequi:

Cum

Cum tam multa trahant, immobilis ire recuſo;
Quam mihi dilecta eſt lex tua? lege ligor:
At quandoque tamen videor parere ſequendo?
Non eo, ſed rapior, non ego, at vmbra mei.

IX.

Cor mundum crea in me Deus.

QVod mihi cor, vel quale, precor, ſors protulit atra?
Senſibus aduerſum quod ſolet ire ſuis:
Nil magis eſſe Deo, ſi quæris, amabile ſentit;
Nil minus eſt pariter, quam Deus, id quod amat:
Velle modo totis ſe iurat amare medullis;
Et vel tantillum ſe modo amare negat:
Cætera ſi formoſa videt, ſectatur amando,
Et faciles vltrò fundit amoris opes:
Iam formoſa Dei præ cunctis ora fatetur;
Nec ſe poſt illum ſentit amore trahi.
Cor mihi, Chriſte, nouum largo niſi munere donas;
Nec tibi, nec mihi cor fas placuiſſe meum.

X.

Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.

IN felix ego corporea cur mole grauatus,
Æthereas nequeo penniger ire vias?
Spiritus in Cælum rapit, & cæleſtis origo;
Affigit patrio me caro bruta ſolo:
Diſtrahor in partes, & diſſecor, ah miſer, ambas;
Mecumque obluctans, oſor & ipſe mei;
Vincor enim, & vinco, pariter captiuus, ouanſque;
Hinc præ lætitia geſtio, & inde gemo;
Dimidius ſemper, nunquam ſum totus, & idem,
A me diuiſus, oppoſituſque mihi;
Nolo, volo, cupio, metuo, fugioque, ſequorque,
Ipſe meos partus edo, ſimulque neco;
Quod caro parturijt mens atterit; opprimit ille
Iſta quod enixa eſt; fructus vtrinque perit:
Iure rogat ſapiens ſolui hoc a corpore mortis,
In quo, dum viuis, cogeris vſque mori.

XI.

Homo cum in honore eſſet, non intellexit.

HIc animus luteæ clauſus qui carcere carnis,
Siue magis vitrea conditus in ſpecula,
E minus aſpectare Deum, cælumque tueri
Iuſſus, & æthereas ire redire vias;
Fuſus humo, fixuſque ſolo, terreſtria tantum
Curat, & in cæno ſus quaſi bruta iacet:
Fruſtra igitur Cæli radientes itis in orbem,
In laudes fruſtra ſoluitis ora Dei;
Surdus enim ad voces equus eſt, bos ſurdus ad iſtas;
Cui vos verba datis, ſed mage ſurdus homo.

XII.

Fletus Dei cauſa lætificat.

GAudia quiſquis aues non deficientia cordi,
Fletibus aſſiduis turpia facta laua;
Iratumque tibi Numen placare labora;
Fletus hic eſto tuis certa medela malis:
Quemlibet iſte dolor potis eſt ſopire dolorem,
Cura iſthæc curas non ſinit eſſe graues;
Nam quæ damna rei, quos caſus ſentit acerbos
Damna dolens animæ flebiliora ſuæ?
Hinc igitur doleas quantumuis, hoc mage gaudes;
Mulcet enim pluſquam ſauciet iſte dolor:

Ad-

XIII.

Aduerſus carnem.

F Ortibus ac teneris caro iuncta tenerrima vinclis
Ætherea parti qua ſuper aſtra rapit,
Cur hanc inuitam toties, ac pæne coactam
De Cælo in cœnum blanda, nocenſque trahis?
Nec tibi, nec ſociæ cautum eſt in Tartara condi;
Si non vis condi in Tartara, celſa tene:
Sed tu conſilijs, monitis neque flecteris vllis;
Bruta pecus virga ac fune domanda mihi es.

XIV.

Flendum pro peccatis.

S I mihi quæ quondam fuerat nunc afforet ætas;
Cum vigor in viridi corpore primus erat,
Florenteſque genæ, nigri criſpique capilli,
Et rutilans facies, & cutis alba nitens;
Exudare dies, noctes vigilare rigentes
Immenſumque velim ferre laboris onus:
Viribus effætis nunc, & frigente ſenecta,
Quid reſtat, niſi me flere, ſceluſque meum?
Flere ſcelus, quod non membris algentibus alget,
In ſenio, heu miſerum me, iuueneſcit adhuc.

Ex-

XV.

Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & exaltabitur parcens vobis. Iſa. 30.

CRimina te quiſquis ſcelerata mente nefanda
Perpetraſſe doles, ſuppliciumque times;
Noli promiſſam tibi deſperare ſalutem,
Inque veternoſo figere corda luto.
Ecce Deus ſcelerum vindex, infenſus & hoſtis;
Non tamen iratus, ſed miſeratus adeſt;
Expectatque graues gaudens dimittere culpas;
Nam ſe parcendo creſcere poſſe putat;
Si pœnas repetat, tua ſic tu debita ſoluis;
Si parcat, remanet creditor ille tuus.

XVI.

Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.

Ad Chriſtum.

CHriſte ſalus hominum, te perdita quærere clamas,
Saluaque velle iterum, quæ periiſſe doles;
Perditus en ego ſum, perij, te, Chriſte requiro;
Quæſitus cur non inueniare mihi?
Si non quæſitus pereuntes ipſe requiris,
Hoc mage te quiſquis quærit, is inueniet:
Sed mea nec laus eſt quod te prior ipſe requiram;
A te quæſitus ſcilicet ante fui:
Quæſitus, quærenſque igitur, per te fore ſaluum
Me niſi credidero, nec tibi præſto fidem.

Non

XVII.

Non opus eſt valentibus medico, ſed male habentibus.

IMmani quiſquis vitiorum mole grauaris,
Et morbo preſſus deteriore iaces,
Ad Chriſtum propera, præſto eſt, medicina, ſaluſque;
Non horret peſtes quamlibet ille graues.
Laus ingens medici eſt, cum vis teterrima morbi,
Indomituſque cita pellitur arte dolor:
Ergo ne inuideas tibi quam dabit ille ſalutem,
Ne laudem inuideas quam dabis ipſe Deo.

XVIII.

De eodem.

PEr mare, per terras mercator quæritat aurum;
Quærit opes, famam miles, & imperium;
Vtile quiſque ſibi, ſua lucra, & commoda quærit;
Vt ſua, perquirit commoda noſtra Deus.

Quam

XIX.

De malis ſuis
Apud Dominum miſericordia.

QVi ſexagenos vixi feliciter annos,
Sub finem miſero vita dolenda venit:
Semper in aduerſos luctatur cymbula fluctus,
Incaſſum ventos poſtulat illa leues:
Æquoris irati fremitum timet; æthera ſpectans
Obductum denſis nubibus eſſe videt:
Non Solis facies, non ſidus fulget amicum;
An quod ſemper adeſt, fors mihi Numen abeſt?
Si ſcelus admiſi non exorabilis ira;
Num Deus amiſit quo ſcelus omne leuat?

Filij

XXI.

Filij hominum vſquequo graui corde ? vt quid diligitis vanitatem ?

COr miſerum miſeri transfixum cuſpide amoris,
Qui te affigit humo, turpificatque luto,
Nec potes in Cœlum ſublatis tendere pennis,
Ætheris & puras viſere ſæpe domos;
Diuinus clamat tibi Pſaltes, vana quid optas?
Falſaque perſequeris nomina, inane, nihil?
Si nihil eſt quod amas, prohibet ſed amare quod vnũ eſt
Non nihillo, at nihil peius id eſt quod amas.

XXII.

Queritur ſe non ſatis amare Deum.

DVlcis, amor cordis, Deus expectatio ſola,
Et deſiderijs meta petita meis,
Non amo te quantum pulcherrimus ipſe mereris;
Vinxerunt quantum me tua dona tibi;
Quantum vinxit amor, qui te mihi ſanguine iunxit,
Atque iubet pretio ſanguinis eſſe tuum:
O pretium, quod non compenſem ſanguine toto,
Nec vita, quamuis vita ſit vſque mori.

XXIII.

S. Auguſtini effatum mirabile quod refertur.

QVanto Auguſtini diuino pectus amore
Arſerit, hoc eius verba relata probant;
Quodſi Auguſtino contingere poſſet id eſſe
Quod Deus eſt, non ſe vellet is eſſe Deum;
Verum Auguſtino depoſceret eſſe quod ipſe eſt,
Inque Deum totum funderet eſſe Dei.
Quantus amator? ais; ſed vim perpendito amoris;
Dum Deus hic non vult eſſe, fit inde Deus;
Hoc facit omnis amor, quod ſe ſibi tollit amantem;
Vt non ſit quod erat, ſed mage ſit quod amat:
Ergo Auguſtinus, ſeu ſe, ſeu reſpuat eſſe
Quod Deus eſt, iam fit præ Dei amore Deus.

XXIV.

Filij hominum vt quid diligitis vanitatem.

MAxima res amor eſt, quæ ſe ſibi tollit amantē,
Inque Deum trāsfert, ſi Deus eſt quod amas,
Te facit ergo Deum: cur non Deus vnicè ametur?
O genus humanum quam ſine corde iaces?
Eſſe Deum ſe quiſque facit, ſi certet amando;
Vult magis eſſe caro, ſtercus, inane, nihil.

Sentio

XXV.

Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ad Chriſtum.

CHriſte tuus mihi ſemper amor prædiuite gaza,
Aurifero melior viſus & eſſe Tago;
Gemmatis melior ſceptris, ſolijſque ſuperbis,
Latius & terris imperitante manu;
Delicijs melior, quibus aut inſtructa redundat
Regia menſa, torus vel genialis habet:
Hic ſenſus meus eſt, hæc certa ſcientia mentis;
Sed non me totum ſenſus hic ipſe rapit;
Diſtrahor, auellor, trahor in contraria, cogor;
Sentio diſſenſum ſenſui ineſſe meo:
Me miſerum? quid agam? qua me ratione gubernem,
Qui mihi non conſto? me mihi tolle Deus,
Atque in te transfer; quidni? coeamus in illum
Aduerſæ partes, mens, caro, totus ego.

XXVI.

Chriſti auxilium, & amorem poſtulat.

INfixus limo nimium nimiumque tenaci,
 Atque graui ſcelerum mole premente caput,
Ad te tendo manus, lacrymoſaque lumina verto,
 Subſidium dextræ fer, bone Chriſte, tuæ:
Non mihi fas ſuperare altas, quibus obruor, vndas
 Non hærens fundo fas releuare latus;
Ponderibus premor immenſis, teneorque catenis,
 Scis quibus? heu curis prauo ab amore meis:
Si mihi pondus amor, deponere pondus amoris
 Non valeo, vita eſt nam mihi dulcis amor:
Ergo mihi mutetur amor, quo ſurgere poſſim;
 Da mihi Chriſte tuum, meque leuabit amor.

XXVII.

Idem, ad Eundem.

SPes mea Chriſte, tuum precibus me flectere Numē
 Si non poſſe putem, ſpes mea tota perit;
Nam quid ego ſine te? mea iam tibi credita vita,
 Creditus eſt & amor, qui mea vita, meus;

Ergo ſum ſine me, totus dum transferor in te;
Si mihi te tollis, me mihi Chriſte rapis:
Tollere ſed mihi te nunquid te poſſe putarim?
Sum datus ante tibi, quì rapiare mihi?

XXVIII.

Beati qui lugent.

T*Vrbida cum Cæli facies, nebuloſus & aer,*
Sæuit & irati dira procella maris;
Si ſubito terras effuſior imber inundet;
Ætheris, ac ponti detumuere minæ:
Haud ſecus ex oculis largus ſi profluat humor,
Perfundatque genas, proluat atque ſinum;
Placantur ſuperi, cordis violenta remittit
Tempeſtas, carnis prælia ſæua ſilent:
Aſſiduis igitur mea fletibus ora rigentur;
Nulla poteſt facies eſſe ſerena magis.

XXIX.

Idem.

F Lete oculi, calidiſque genas perfundite riuis,
Sentiat vndantes noxque dieſque ſinus;
Vulnere condoleat confoſſum pectus amaro,
Lætitiæ nullus ſit locus, atque iocis;
Forſitan euades offenſi Numinis iram,
Si tua vita labor ſit grauis, atque dolor.
Sed graue ſit nimium triſtem traducere vitam?
Nil hac triſtitia lætius eſſe putes:
Dilectum quiſquis triſtatur propter Ieſum,
Dum ſentit quod amat, diſcit amore frui;
At nil dulce ſapit mage quam quod fructus amoris;
Præſertim ſpinis ſit niſi ſeptus amor:
Solus amor neſcit ſpinas diuinus acutas,
Hinc etenim zelus ſuſpicioque procul.
O igitur luctus riſu mihi carior omni,
Eſto comes, vitæ deliciumque meæ.

XXX.

Lacrymas pœnitentiæ poſtulat.

QVis mihi det miſero calidarum flumen aquarũ;
Vt cadat ex oculis, impleat atque ſinum,
Et noctes fluat atque dies, ſtratumque, ſolumque
Proluat, ac totus vertar in Oceanum?
Nunquam noſtra ſitis tantis explebitur vndis,
Ardet, vt imbre nouo turpia facta lauet;
Numinis offenſi quam formidanda poteſtas,
Tam ſit larga, meum tergat vt vnda ſcelus.

XXXI.

Amplius laua me.

SOrdes ſæpe nouas antiquis ſordibus addens,
Iam totus luteus, ſordidiorque luto
Cur non fundis aquas, animæ quæ ſordida tergunt?
Amplius hanc fœdas? amplius ergo laua.

Digitized by Google

XXXII.

Meliuſne ſit Deo frui, an pro Deo pati.

TE quod amem, bone, ſumme Deus, præcordia noſtra
  Teſtantur, quibus eſt nonniſi cura tui;
Verum amo te, fructumque tui non ſentio amoris;
  Nam quid amore tuo dulcius eſſe poteſt?
At non dignus ego dulcedine nectaris huius;
  Si non dulce ſapit, te ſed amare volo,
Et ſapere hoc ipſum, quod pro te quicquid amarum
  Sentitur, dulci quolibet eſt melius;
Ecquid enim melius quam pro te dulcis amator,
  Dura pati? melius quam tuo amore frui;
Nam quia amore frui iucundum prorſus amanti eſt,
  Plus, hoc iucundum qui ſibi tollit, amat;
Ergo pati melius; melius tamen eligat iſtud
  Me quiſquis melior; da tuo amore frui.

Idem

XXXIII.
Idem argumentum.

SIt ne Deo præſente frui, aut abſentis amore
Dura pati melius; quis tibi ſenſus ineſt?
Iudice te, patiens melior gaudente putatur,
Nam quiſquis patitur fortiter ille facit:
Sed præſente deo gaudere eſt meta laborum,
Et pretium, & merces, vlteriuſque nihil:
At virtutis opus longè preſtantius, inquis,
Hoc, quantum Deus eſt, ſe ſpoliare bono!
Sed, virtutis opus virtutis præmia vincunt;
Et melior curſu meta, labore quies:
Rurſus ais, fructu quiſquis ſe priuat amoris
Plus amat! hoc ipſum pernego plus quod amet;
Namque Deo præſente frui tantum auget amorem
Vt plus abſentem nullus amare queat.

XXXIV.
Aliũm cibum habeo manducare quem vos neſcitis
Ad Chriſtum.

CHriſte meæ te ſæna fames, te dira ſalutis
Excruciat, noui te referente, ſitis:
Quid mihi, quidue tibi faciam? plorabo frequenter;
Sic tibi potus ero, mollior atque cibus.

XXXV.

Ad Chriſtum
Pro gratiarum actione.

CHriſte, Dei Verbum, mihi qualia verba dediſti?
Dulcia, mellifluo nectare grata magis:
Sed neque verba dediſſe ſatis, Verbum ipſe potenti
Te verbo potum das mihi, teque cibum.
O ego! non tibi verba igitur laudeſque ſacrabo?
Totus in obſequium fundar & ipſe tuum?
Fundar in obſequium, totus tibi fundar in vndam,
Sim Metamorphoſeos fabula nota nouæ:
Imò nec noua narrabor, neque fabula; per te
In flumen verſus ſcribitur ante lapis.

Inue-

XXXVI.

Inueteratus dierum malorum.

HEu fugit a noſtris ſomnus prædulcis ocellis;
Sollicitoque venit dura ſenecta gradu;
Nec mea me miſerum vitia inueterata relinquunt,
Fortia multiplici ſed mage fune ligant:
Nunc timor extremis gelidus magis alget in annis,
Iure quidem; ſed me cur magis vrit amor?
Quæ vis iſta mali? maior labente fit æuo,
Acquirit vires, cum cecidere, nouas:
Paſſio ab aſſuetis non fit, nox vna ſophorum eſt;
Verius, aſſuetis dura fit illa magis,

XXXVII.

De bono, ſeu malo vitæ exitu. Ad Candidum.

CÆleſtem in terris acturus, Candide, vitam,
Dum me corporeum pondus ad ima trahit,
Vim facio totis connißus ad æthera pennis,
Vt non ſarcinulis opprimar ipſe meis;
Et modo lucentes Orbes, nitidoſque pererro,
Gemmatum calcans ſtelliferumque ſolum;
Nunc cum Cælicolis, quorum eſt numeroſior aſtris
Turba, dies noctes pene beatus ago:
Sed me dum Cœlum iam credo, Deumque tenere,
Rurſus ad ima grauis, carne premente, trahor;
Sic modo qui ſuperis inuectus, deprimor Orco,
Et modo qui felix, fio repente miſer:
Talis ego cum ſim, qualem me rere futurum,
Candide, cum finem mors inopina dabit?
Edocet Ambroſius; Cælumue, Erebumue tenebo,
Plura vt patraro, ſeu mala, ſiue bona.

Digitized by Google

XXXVIII.

Ad Chriſtum
Eripe me à me.

SVm niſi Chriſte tuus, non ſum meus ipſe, ſed vni
Seruio, ſed multis ſubdita colla gero:
Me nunc vexat amor, dulcis, ſæuuſque tyrannus,
Sollicitus mentem nunc timor excruciat;
Durum ſeruitium, longo quod tempore durat,
Et premit, & donec vixero, me perimit!
Sancte Redemptor ades, tua quem ſeruauit ab hoſte
Dextera, mancipium non ſinat eſſe ſui.

XXXIX.

Ira in Deum non cadit.

IGnea terrifica iaculantem fulmina dextra
Priſca canit vatum ſæpe caterua Deum;
Iamque Giganteo clarum facit eſſe triumpho,
Supremam terris iamque parare diem:
Ille tamen ſæuas nunquam exardeſcit in iras,
Atque inturbata ſidera mente regit:
Fulminat, atque tonat? tellus hæc protulit Orbi;
Nubila tranſcendas, ille ſerenus adeſt.

XL.

Ad Chriſtum pro nobis crucifixum.

O Qui ſemper amas, & ſic vehementer amaſti,
Vt fuerit tibi crux dulcis amore mei;
Cor clauis mihi fige tuis, tua vulnus amoris
Infligant fibris vulnera quinque meis:
Sic de ſaluificis venient mihi gaudia pœnis,
Et de vulneribus viſcera ſana tuis.

XXXXI.

Ad Deum mirabilium patratorem.

O Maris immenſi, tempeſtatumque ſonantum
Frænator, nutu concutienſque ſolum
Cuius ad imperium dediſcit currere Cælum,
Vrere flamma, ſolum ſtare, meare liquor;
Siſte animi motus, extingue Cupidinis ignes;
Excute torporem, fac ſtabili eſſe gradu:
Sic memet maior tua per miracula fiam,
Et felix fuero tunc ego, vt alter ego.

De

XLII.
De profundis clamaui ad te Domine

O Quicunque graui depreſſus mole malorum
Deſperas feſſum poſſe leuare latus,
Sume animos, mentiſque oculos attolle iacentis,
Et miſeratoris conijce in ora Dei;
Qui mundum ex nihilo ſtatuit, lucemque micantem,
Claraque de nigro protulit aſtra chao,
Deucalioneis terras detexit ab vndis,
Perque profunda maris currere iuſſit equos;
Eduxit viuum Ionam de ventre draconis,
Deque lacu Vatem, cui leo mitis erat;
Præſto erit ille tibi; non eſt modo quam fuit ante,
Robore ſeu dextræ, ſeu pietate minor.

XLII.
Euchariſtiæ virtus aduerſus vitia carnis.

CAſta placent ſuperis, mihi mens inceſta, caroque
Polluta irati Numinis ora refert;
Quid faciam? me ſollicitus timor, ac dolor vrget;
Quæ ſpes iam ſupereſt? quodue leuamen adeſt?
Sanguis, Chriſte, tuus ſumptus de virgine, ſordes
Eluet antiquas, nec ſinet eſſe nouas.

Sen

XLIV.

Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

ME graue certamen noctesque dieſque perurget,
Motibus aduerſis dum violenter agor;
In partes raptare ſuas caro bruta, Satanque
Nititur, aſt aliò mens Deo amica trahit:
Inter vtrunque pati medius, mediuſque ſecari
Cogor, & hoſte vnus damna ab vtroque fero:
Gaudeo ſæpe tamen quod ſic, bone Chriſte, laborans,
In caſtris patior prælia ſæua tuis;
Gaudeo quod mentem caro dum ſic improba vexat,
Iamque necare parat, ſe prius ipſa necat:
Perge caro, mentique moue fera bella, Deoque;
Seu malè ſis victrix, ſeù benè victa, cades.

XLV.

De Cruce vitæ religioſæ.

COnfixus clauis diuini corda timoris,
Membraque, quam longam perfero, Chriſte, crucem?
Te tamen aſpiciens, dum fixus ab arbore pendes,
Diſco meam, quanta eſt, ſic adamare crucem:
Nam ſit longa licet, tua tres ſic te premit horas,
Nulla ſit vt penitus crux mea iuncta tuæ:
Sed neque dira tribus tantum tua te necat horis;
Tam protenſa fuit, quam tua vita fuit.

XLVI.

Dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant.

CRedere te dicis, virtuti æterna parari
Præmia, ſupplicium iuge manere reos;
Sed cum criminibus ſcateas, virtutis es oſor;
Hoc incredibile eſt credere te quod ais.

XLVII.

Ad Chriſtum Dei ſeruus à malis liberari deſiderans.

Qvi duodena Deo dilectus luſtra peregi,
Et claro vidi currere ſole dies;
Iam queror infeſtas, auerſo Numine, ſortes,
Et grauis innumeris ſit mihi vita malis:
Inſomnes noctes nebuloſos tranſigo Soles,
Lætitiæ radius nullus ab axe venit;
Prælia ſæua gero taciturna per otia mecum,
Impugnat mentem ſemper iniqua caro:
Nec ſenio potuit, necdum ratione domari,
Deficiunt vires, proficit ipſa magis:
Quis finis pugnæ? noſtro quæ meta labori?
Opto modum vitæ, criminibuſque modum:
Viuere perpetuus timor eſt, labor irre quietus;
Ianua mors igitur ſorte quietis erit:
Sed quia de rebus non explorata voluntas
Eſt tua, Chriſte, meis, credo nec ipſe mihi;
Hoc ſcio teque bonum, largitoremque bonorum;
Ipſe malus quamuis, vrgeat atque malis.

De

XLVIII.

De diuina Euchariſtia.

*Q*Vis dabit ingenio tantæ præconia laudis,
Vt, niſi materiam vincit, adæquet opus?
Non hoc ſperandum; ſuperat diuina poteſtas
Omnigenæ vires artis, & eloquij:
Tale quid eſt, panem viuos quod Chriſtus in artus
Iuſſit & in potum ſanguinis ire merum;
Dicitur hoc, ſed non capitur niſi mente fideli;
Et ratio facti de faciente venit:
Quale ſit, & quantum, cordis quam dulce palato,
Non capit humanus ſermo, nec Angelicus:
Vis laudare? ſile, mirare, & pronus adora;
Lingua ſit, & ratio muta, loquatur amor.

XLIX.

Ecce veniet Propheta magnus & ipſe renouabit Ieruſalem.

QVi Cælum, terramque ſuis amplexibus ambit,
Nec ſine arctatur temporis, atque loci,
Clauditur intactæ tantillus ventre puellæ,
Suſtinet & menſes, tædia longa, nouem:
Quis facit hos? amor æternis accenſus ab annis;
Tantane tam potuit flamma latere diu?
Et latet, & latuit, ſed mox erumpet, vt Orbis
Ardeat antiquus, ſurgat & inde nouus.

L.

Fugite fornicationem.

GAudia cæleſtis quicunque manentia regni
Inconcuſſa fide, ſpe quoque certa tenes,
Ne te pelliciat virtuti inimica voluptas
Inſidioſa caue, corripe mente fugam;
Eſt tam dulce malum, paruum licet, ac breuis æui,
Nullius vt ſenſum iam ſinat eſſe boni.

Ad

LI.
Ad Chriſtum
Pro ſalute corporis.

CHriſte, dator vitæ, mortis deſtructor, & Orci,
Ægra ſuperfuſo membra ſopore leua;
In ſomnis mihi tranſigitur nox plurima feßo,
Peruigil excubitor tempora longa gemo:
Non ſilet, aut vaga mens per amica ſilentia ceſſat;
Garrula ſed ſecum iurgia ſemper habet;
Vertitur inque diem nox, it ſopor inque laborem;
Per crementa ſui fit mage vita breuis:
Chriſte precor, fer opem, vitali membra ſopore
Si non irroras, lethifer ecce premit.

LII.
Ad eundem.
Pro ſalute animæ.

PRoximus, ac pene abſorptus iam faucibus Orci
Ad te tendo manus ſupplice mente Deus;
Olim qui Ionæ viuente in corpore ceti
Audiſti fuſas, corde tremente, preces;
Ah lacrymas ne ſperne meas, animamque pauentem
Eripe ab infernæ dente fremente feræ:
Si per te tanti ſit libera ſorte pericli,
Seruiet æternum laudibus illa tuis.

LIII.

Inuoca me, eruam te, & honorificabis me.

AVxilium prece poſce meum, Deus inquit egenti;
Hinc mihi ſurgit honos, hinc tibi certa ſalus:
O magnum pietatis opus! quis laudet abundè?
Vult donare, ſimul debitor eſſe Deus.

LIV.

Chriſti amorem poſtulat.

DVdum, Chriſte, meum tibi ſum largitus amorē,
Cumque meo pariter me tibi amore dedi;
Nam quid ego ſine amore forem? ſum totus amoris,
Totus amor, vita eſt tota in amore mihi:
Quæ miſero vita eſt, expers qui viuit amoris.
Eſt, non eſt, viuit, ſed neque vita ſapit:
Imò infelicem ſapit, ac vehementer amaram,
Dum, quo dulceſcit vita, negatur amor.
Ergo meum quia donaui tibi, da mihi amorem
Chriſte tuum, niſi das, ſit mea vita dolor:
Qui mea vita dolor? periÿt nam vita, ſaluſque,
Si ſine amore meo ſim, ſine amore tuo.

De

LV.

De eodem diſſeritur.

ES Chriſto quicunque tuum largitus amorem,
A Chriſto rogo te, cur petis ipſe ſuum?
Num donatur amor Chriſto, niſi Chriſtus ametur?
Is dedit ergo ſuum, ſi tenet ante tuum?
Non ita res agitur; Chriſto donauit amorem
Qui præter Chriſtum cætera amare negat;
At non propterea Chriſti iam feruet amore:
Poſtulet hunc igitur qui dedit ante ſuum.

LVI.

Ad Chriſtum.

O Ego continuis ſi fletibus ora rigarem,
Dum flagrat abſentis pectus amore Dei;
Totus & in dulces lacrymas liquefactus abirem,
Vt fluit accenſo proxima cera rogo,
Quam felix in amore forem, quam dulciter ardens?
Nec tamen æthereo verſor ab igne procul:
O ignis, Cæli quo lumina iugiter ardent,
Et mihi qui ſemper circuit æthra latus,
Siccine cum flammis torrentibus vndique cingar,
Nec ſcintilla meis ſenſibus hæret adhuc?

LVIII.

Virtus ſibi ipſa præmium.

ESt via qua Cælum petitur, ſed plena laboris,
Clauſa voluptati, nil niſi triſte refert:
Ingreditur quiſquis firmatæ robore mentis,
Indomito conſtans pectus & ære tegens.
Progrediturque diu, ſuperans imperuia, calcans
Aſpera; nec metuens mille pericla necis,
Magnus hic eſt, terris maior, ſublimior aſtris,
Par ſuperis, ſummo proximus atque Deo:
Qui mihi ſat felix, ſi cætera præmia deſint,
Cenſetur, meriti conſcius ipſe ſui.

LIX.

Bonum ſibi finem precatur.

OLim qui ſuperis carus vernantibus annis,
Imperturbato gaudia corde tuli,
Cui crimen pro morte fuit, mors caſſa timore,
Tantus amor Chriſti, par odiumque mali;
Neſcio quo fato, qua ſorte auerſa tuente,
Alter ſum penitus, diſſimiliſque mei;
Mæſtitiæ nubes caput altum mentis obumbrat,
Iam non arrident Numinis ora mihi;

In

In vitium pronus, facilemque ad crimina lapſum
Sæpe gemo, trepidum prompta ruina facit:
Cum benè cæpiſſem, finem caro bruta minatur
Infauſtum; finem Chriſte tuere meum:
Quid tibi principium vitæ ſacraſſe iuuaret,
Mors mala ſi vitam conſequerere bonam?

LX.

Dei amor erga homines.

MAximus vt noſtrum ſibi conciliaret amorem
Olim patrarat qualia quanta Deus?
Lucida quæ finxit donauit ſidera nobis,
Quæ noctem irradiant ſidera, quæque diem;
Ecquis Erythræi radiantia munera ponti
Donauit ſponſæ tam pretioſa nouæ?
Iam ſolem ac Lunam geminos largitus ocellos,
An Cæli melius dixeris, anne ſuos?
Addidit omnigenos, telluris ſidera, flores,
Fructuſque, & quicquid terra fretumque parit:
Nil feciſſe tamen, nil ſe donaſſe putauit,
Dignum quod noſtro, quod ſuo amore foret!
Se ſocium dedit humanos circundatus artus,
Solem nube tegens, diſſimulanſque Deum:
Vagijt inde puer, iuuenis ſudauit, & alſit,
Nec ſatis hoc, voluit triſtia dira pati;

Ver-

Verberibus cæſus, ſuffixus ab arbore pendens,
Cum largo vitam ſanguinis imbre dedit;
Nec data vita ſemel, quoties tibi cedit in eſcam,
Et potum, panis ſub ſpecie atque meri?
Vt tibi ſe iungens, ſibi te, conflaret in vnum,
Intima dum penetrat viſcera, & intus alit:
Taliter effuſo quid iam reſtabat amori?
Æternum merces vt tua magna foret;
Quæ merces, & quanta Deus? quis dicere poſſit?
Mens tanti ſenſum non capit arcta boni:
Quanta Deus merces? quanto Deus ipſe beatur,
Nec fingi maius mente, vel eſſe poteſt;
Quære quid vlterius, tua vota extende, quid optas?
Quidue optare vales? hoc erit ille tibi.
Atqui non facilis via tanta ad præmia ducit,
Nec pretio merces quæritur iſta leui!
Ne dubita, tua qui merces, fit cætera Chriſtus,
Fit via, fit pretium, fit tibi quicquid opus.
Quid iam deeſt vt ames tanto præuentus amore?
Nil niſi conſilium, mens tibi, corque deeſt.

Quare

LXI.

Quare tu enarras iuſtitias meas?

NEſcio quid loquitur de qno quis neſcius igne,
Duratuſque gelu pectoris, ore calet?
Non lingua diuinus amor ſed corde tenetur;
Verbaque non illum, ſed mage facta probant.
Laudabo tamen ignarus; niſi glutio, libo;
Verſatumque meo ſaccarum in ore placet.

LXII.

Ludens in orbe terrarum.

LVdit in Orbe pila Deus, ac tellure creata,
Hanc ad mortales traijcit ille manu;
Reflexo pulſu quam quiſque remittat ad ipſum;
Perditor eſt ludo, qui tenet, atque premit.

Magna

LXIII.

Magna Dei potentia. In uenia danda peccata confitentibus.

QViſquis es immani ſcelerum ſub mole ſepultus;
Cui patrare nefas ludus amorque fuit.
Fur, latro, cæde madens cum ſis, corruptor, adulter;
Ebrius, inque homines impius, inque Deum;
Noli promiſſam citò deſperare ſalutem,
Nec tibi ſubſidium Numinis ipſe nega:
Diſce Dei quanta eſt clementia; non potes, inquis,
In melius mores iam variare tuos?
Si non Aethiopem potes album reddere facto;
Æthiopem verbo ſi fateare, potes.

LXIV.

Fulgura in pluuiam fecit.

Nubibus obductum quoties horreſcis Olympum,
Et formidatas percipis aure minas;
Dum ſtrepitant, fracto reboantque tonitrua Cælo,
Permixtos ignes imbribus ire vides;
Non, vt rere, Tonans armatur in horrida bella;
Funera non terris, excidiumque parat.
Aeream ducit claſſem, naueſque gubernat
Omniuehas; ſegetes, vina, oleumque pluent:
Quæ reſonant igitur, non ſunt horrentia Martis
Fulmina, lautitiæ ſed data ſigna nouæ.



LXV.

S. Aurelium Auguſtinum Angelus ad S. Pauli lectionem, & diuinum amorem excitat.

DVm nutat geminos Aurelius inter amores,
Hinc trahit Idalius, cælicus inde rapit;
Penniger aſtrifero deſcendit ephebus ab axe,
Ne palmam ſolitus ferre, Cupido ferat:
Cunctantique viro, ſuſpiria & ægra trahenti
Tolle, lege, arguta voce canorus ait:
Is tulit, & legit, calamus iam ſcripſerat illas,
Nunc volitans cordis fixit in ima notas;
Eſt calamus Pauli, quo non tam ſcribere verba,
Quam diuinus amor figere corda ſolet.

FINIS.

	Errata	Corrige.
	nequis	nequit
26	eum	cum
34	chaas	chaos
38	Ad tyrannũ LXIV.	ſupra LXIII.
58	abrúpte	abrúpo
62	illicits	illicitis
64	triſtator	triſtatur
68	ille	illa
75	non nihillo ar nihil	non nihil, at nihilo
83	Aijum	A lium

Digitized by Google